16

Q. D. T. O. M. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICO-PHYSIOLOGICA

DE

QVALITATIBVS CORPORIS HVMANI HEREDITARIIS

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO AVGVSTISSIMO AC POTENTISSIMO

REGE AC ELECTORE

GEORGIO II.

AVCTORITATE GRATIOSI ORDINIS MEDICI

IN

VNIVERSITATE GEORGIA AVGVSTA

PRO SVMMIS IN ARTE SALVTARI HONORIBVS AC PRIVILEGIIS RITE CONSEQVENDIS

D. III. DECEMB. MDCCLV.

PVBLICAE EXAMINI SVBMITTIT

IOH. HENRICVS BÜTTNER

RATISPONENSIS.

GOTTINGAE

APVD ELIAM LVZAC.

SACRI ROMANI IMPERII

LIBERAE ET AVGVSTAE REIPVBLICAE

RATISPONENSIS

MAGNIFICO SENATVI

DOMINO CAMERARIO

CONSVLARIBVS

CAETERISQVE

SENATORIBVS

VIRIS

ILLVSTRIBVS MAGNIFICIS

STRENVIS PRAENOBILISSIMIS

PRVDENTISSIMIS AMPLISSIMIS

EXCELLENTISSIMIS CONSVLTISSIMIS

PATRIBVS CONSCRIPTIS

DOMINIS MVNIFICENTISSIMIS

PATRONIS AC MAECENATIBVS SVIS

SVMMA PIETATE AD CINERES VSQVE

COLENDIS

HOC SPECIMEN STVDIORVM SVORVM

INAVGVRALE

TANQVAM TESSERAM DEVOTAE

SVAE OBSERVANTIAE

D. D. C.

TANTORVM NOMINVM

CVLTOR AC CLIENS OBSEQVENTISSIMVS

IOH. HENR. BÜTTNER



DISSERTATIO MEDICA INAVGVRALIS

DE

HEREDITARIIS NATVRAE HVMANAE QVALITATIBVS

§. I.

N*aturam Humanam* appello conjunctam rerum, ex quibus homo constat, vim, tanquam principium ex quo cuncta hominis sibi relicti phoenomena sponte fluunt. Quo sensu cum receptam sequi videor hujus vocabuli significationem, tum antiquissimam ejusdem adoptare explicationem, quae quidem a Medicis facta sit & in horum scholis autoritatem obtinuerit. Nam quod ad primum attinet, sane, quum dicitur ex. c. *Natura hujus vel illius robusta aut infirma est*, *mea Natura hoc vel illud commode vel aegre fert*. *Natura hominis*



sibimet ipsa contra morbos opem praestat, & quae sunt ejus generis plura; nihil aliud intelligitur, quam composita partium, ex quibus homo in unam substantiam coaluit, essentia, quae quidem partes suis singulae viribus instructae sunt, sed omnes in unum, nimirum conservationem vitae conspirant.

§. II.

Eodem redit communis Medicorum sententia, quando hoc vocabulo utuntur: Cui comprobando sufficerit, si vetustissimus solum autor, unde ad reliquos Medicina promanavit, HIPPOCRATES cum interprete suo GALENO, in medium afferatur. Hic scribit 1) *corpus hominis in semet ipso habet sanguinem & pituitam, & duplicem bilem, flavam scilicet & atram, atque haec sunt ipsi Natura corporis.* Et alio loco, 2) *Natura humana ipsa sibi vias & rationes agendi invenit, non ex cogitatione & ratiocinio, sed sicut fit ex gr. nictatio oculorum, Natura, quamquam non instituta est, neque antea didicit, tamen sponte sua facit, quae fieri debent.* Et iterum 3) *Res naturales quae agunt, speciem quidem praebent, ac si eadem ex intellectu, cognitione, ac perspicientia peragerent; verum tamen omnia ipsorum opera per necessitatem á Deo impositam contingunt, sive velint sive nolint.* GALFNVS autem ait 4) *Quando Naturam dico, universam intelligo substantiam hominis & commixtionem principiorum*, &c. Ex quibus perspicuum fit, ab antiquissimis usque temporibus *Naturam* appellatam esse rationem conjunctionis rerum partiumve, ex quibus homo constat, & quae viribus insitis gaudent, atque cum in se mutuo, tum conjunctim ad communem scopum agunt, non

1) de *Natura Humana* Cap. V. versus finem.
2) *Epidemior.* Lib. VI. Sect V. ab initio.
3) *de Diaeta* Lib. I. Sect. VI. commate 21. seqq.
4) de *Temperamentis* Lib. III. Cap. IV.

non vero ad ſolam Animam Rationalem, vel ſimilem aliquam ſubſtantiam, neque ad ſolum Mechaniſmum corporeum, hanc vocem reſtringi poſſe, niſi anguſtiore illam conceptu includere velimus, quam par eſt, ſicut non parum multi fecerunt.

§. III.

Hereditarias autem humanae Naturae Qualitates vel affectiones appello, quicquid liberi poſterive â parentibus aut majoribus, in quibus idem jam antea extiterat, acceptum habent in partibus membrisve ſui corporis, earumque compoſitione in animae rationalis viribus & facultatibus, in animi moribus, in omnibus & ſingulis actionibus ſpontaneis, & quae praeterea ad naturam pertinent; verbo quicquid per generationem propagatur. Et non incommode, puto, talia dici poſſe Hereditaria, vocabulo a forenſi ratione ad naturalem conſtitutionem traducto. Nam, quemadmodum res & facultates juraque & aes alienum Parentum, vel & aliorum majorum aut cognatorum agnatorumve, ſemper tamen nomine ſive reſpectu parentum, in Liberos poſterosve, aut conſanguineos Hereditate civili transferuntur; ita quoque pariter exiſtimare licet, dotes ac proprietates quibus genitores aut progenitores cum ſuis conjugibus, propinquiores aut remotiores, gaviſi ſunt, in natos atque poſteros Hereditate quaſi Naturali transmitti. Hujusmodi proprietates, pro diverſo reſpectu, vocantur etiam *Parentales*, aut *Gentilitiae*, nec non *Genitales*, *Connaturales* 5) ſimilibusque nominibus aliis, ab Helmontii ſchola Archeales 6) &c. Opponuntur iisdem *Adventitiae* vel *Aſcititiae* qualitates.

§. IV.

5) GVERNER. ROLFINCIVS *in ordine ac Methodo Medicinae Specialis* Lib. III. Sect. 2. Cap. 28. & 35. LVDOV. MERCATVS *de Morbis Hereditariis* Operum Tomo. II. pag. 669. ſeqq. Edit. Francof 1619. f.

6) Vid. ex. c. IOH. FRID. DE PRE diſp. *de morbis Archealibus*. Erfurt. 1702.



§. IV.

Ex ante propoſita deſcriptione ejus, quod Hereditarium eſt, patet, minus recte eo nomine appellari poſſe id, quod *Congenitum* aut *Connatum* eſt, etſi HIPPOCRATES, 7) LVDOV. MERCATVS 8) BRVNO SEIDELIVS, 9) GVERNER. ROLFINCIVS, 10) CASPARVS A REJES, 11) aliique, hanc diſtinctionem neglexerint. Quamquam enim fieri poſſit, ut infans, dum in lucem editur, jam proprietates 12) aliquas oſtendat, quas ex procreatione vel ſtirpe ſua concepit, tamen, quod Hereditarium eſt, praeterquam quod ex generatione proficiſcitur, ordinarie demum poſt partum, nunc longiore, nunc breviore temporis intervallo, ſe prodit: Contra, quod *Congenitum* ſeu *Connatum* eſt, mox ab utero ſecum in lucem affert novus mundi hoſpes, & manifeſta jam ejus indicia geſtat; eâque notâ Connatum ab Hereditario diſtinguitur. Paucis, omne quod Hereditarium eſt, certo quidem reſpectu quoque connatum eſt; ſed non viciſſim, quicquid connatum eſt, ſemper etiam Hereditarium eſt. Ut proinde merito differentiam inter utrumque ſtatuerint DVNCANVS LIDDELIVS, 13) DAN. SENNERTVS 14) DERMVTIVS DE MEARA 15) GVALTER. CHARLETONVS, 16) MART. SCHVRIGIVS, 17) HERMAN. BOERHAAVIVS, 18) caet.

§. V.

7) *de Morbo Sacro* Sect. V. *Prorrhetico* II. Sect. XI. in principio.
8) alleg. loco.
9) *de Morbis Incurabilib.* p. 7. Edit. Francof. 1593. 8.
10) dicto loco.
11) *in Elyſio Campo*, Quaeſt. LIV. num. 17.
12) Non intelligo proprietates aut affectiones hominum communes, ſed eas quibus iidem a ſe invicem differunt.
13) in *Arte Medica* Lib III. Cap. I. verſus finem, Operum p. 107.
14) in *Inſtitutionibus Medicinae* Lib. II. Parte I. Cap. XI. §. VII.
15) in *Pathologia Hereditaria*, Cap. I. poſt principium.
16) in *Exercitationibus Pathologicis*, Exercit. III. Artic. 7. p. 39. ſqq.
17) in *Spermatologia*, Cap. IV. §. 40.
18) in *Praelectionib. in proprias Inſtitutiones Medicinae*, Tomo. VI. §. 736.

§. V.

Simili ratione, quod per *Contagium* propagatur, Hereditarium appellari nequit. Contagium enim non â natura corpori inhaeret, ſed aliunde accedit, eademque, qua priores ſeu contagioſum miasma transmittentes affecti fuerant, labe plerumque mox inficit attactos: quum ex adverſo Hereditarium ſaepenumero diutius in corpore abſconditum lateat, antequam manifeſtetur. Contagioſis autem affectionibus potiori jure, quam hereditariis accenſentur illae, quae cum lacte tenellis inſtillantur â nutricibus aut ipſis adeo matricibus, propterea que *Connutritae* vocari poterunt: etſi IOH. BAPTISTA HELMONTIVS 19) eas referat ad Hereditarias.

§. VI.

Neque, quod per *Imaginationem* gravidarum liberis inducitur, ut Naevi ſic dicti Materni, ſimiliaque Hereditarii generis eſſe putandum eſt: Etenim talia non ante in parentibus adfuere, neque a generatione inſunt embryonibus, ſed a cauſis externis, in matris animi perturbationes agentibus, accedunt; ſecus ac in Hereditariis fit affectionibus. Caeterum, quum nonnulli negent, Imaginationem matris in foetum quicquam valere & naevos inducere, ſed falſo talia propter levem cum rebus oblatis ſimilitudinis ſpeciem pro effectis imaginationis haberi, aliis è contrario communem opinionem tuentibus; equidem hanc controverſiam in medio relinquo: non tamen inficior, illam mihi magis veriſimilem videri ſententiam, quae naevos ſaepe ab imaginationis viribus produci defendit, quoniam quam plurima proſtant talium effectuum exempla experientiaeque teſtimonia, quae cunctas probatae fidei notas gerunt, neque facile in dubium vocari poſſunt; niſi ab iis, qui

19) in Tractatu, *Infantis nutritio ad vitam longam*, in Operib. p. 477. edit. Lugdun. 1667. fol.



quicquam admittere nolunt, cujus rationem ac modum ipsi plane perspicere nequeunt, quod tamen argumentum in plurimis experientiae documentis haudquaquam satisfacit. Quam eandem ob causam quoque non nego, posse saepe fieri, ut, quemadmodum reliqui matris affectus animi, sic quoque phantasia in ipsa foetus conceptione se immisceat, & sic similem embryoni indolem imprimat: Qualis natura, quum ex generatione profluxerit, tum utique foret Hereditaria, licet ab Imaginatione ceperit originem.

§. VII.

Multo minus, quam priores, Hereditariarum affectionum classi adscribo eas, quae peculiares Regionum conditiones, constitutionem coeli, populorum vivendi rationem & consuetudines, pro causis agnoscunt, propertereaque vocari solent *Endemiae*. Quamquam pariter, ac praecedente thesi, concedo, posse gentium mores in procreationem liberorum influere, ita, ut ex. gr. laete lauteque vivens natio similem propensionem in liberos propaget: in otio degens, amorem otii: servituti vel imperantium obsequiis assueta, animum parendi dominosque ferendi: in libero voluntatis ac cupiditatum arbitrio adolescens studium libertatis; & sic porro. Cujusmodi habitus ac dispositiones, quatenus â parentibus transeunt in liberos, etiam in Hereditariarum numero recte habentur: Si vero non â parentibus sunt, Hereditariis qualitatibus accenseri non debent. Breviter omnes affectiones aut qualitates, quae & quatenus ex aliis, quam Hereditariae, causis nascuntur, hactenus ab hujus nominis societate excludo.

§ VIII.

Sed dum Hereditarium dico, quicquid ex parentibus in natos per generationem transfunditur; sane suboriri poterit dubita-

dubitatio, num revera talis affectionum communicatio, vel transitus ex parentibus in liberos fieri queat, aut omnino locum inveniat? & annon potius aliis causis adscribenda sint ea, quae Hereditariae propagationi vulgo tribuuntur? Nimirum, quum ex sobolis procreandae ratione totum hoc negotium pendeat: si soboles, ut multorum fert opinio, jam ante parentum conjunctionem in vermiculo, vel alia quacunque formata substantia, praeexistit; non videtur fieri posse, ut aliquid a natura parentum transmittatur in liberos, sed his parentum corpora tantummodo nudum praebere hospitium: Unde porro nostra Hereditariarum qualitatum notio concideret. Ut igitur cognoscamus, quid hac in re certum sit quidve ad veritatem propius accedat, primum inquirendum videtur, quid Experientia, fidissima rerum contingentium, inprimisque physicarum ac medicarum magistra, liquido, saltem verisimillime, de hac re demonstret, vel olim curiosis & fide dignis observatoribus demonstratum dederit, enumerando exempla certarum affectionum, quas constitit ante in parentibus aut majoribus extitisse quam liberi geniti fuerant, & postea quoque in his deprehensas fuisse, nullâ alia probabili, quantum observare licuit, praesente causa.

§. IX.

Primum igitur observo, mirificam saepenumero deprehendi *Similitudinem* inter Parentes & Liberos, ita ut hi formam, habitum, gestum, incessum, naturam, animum, & manifestas proprietates totius corporis aut singularium partium, vel patris, vel matris, vel amborum in diversis locis, exacte referant. Hoc apud omnes in confesso est: & qui negare vellet, facile passim & ubique oculorum testimoniis convinci posset! Quid? quod integrae nationes certam perpetuo servant nativam similitudinem? sicut in Judaeorum gente videre licet,

qui



qui omnes ferme & ſinguli generalem quendam characterem in vultu expreſſum gerunt, unde Judaeos eſſe agnoſcas. Eodem pertinent *Notae Gentilitiae*, id eſt certae membrorum aut partium corporis conformationes, quae in gente ſeu familia aliqua perpetuae & ita propriae ſunt, ut inde ſignum haut dubium capiatur, eum qui hanc notam gerit, minime nothum aut inſititium eſſe, ſed genuinum ex ſtirpe ſurculum 20).

§. X.

Quod quo magis confirmetur, conſideremus ſingulares ſimilitudinis in partibus ſpecies, quas fide digni autores teſtantur â parentibus innatos per generationem migraſſe. Sic in Conformatione, Situ, Nexuque partium citantur *Atreti*, ut imperforata penis glans in viro nobili, a materno ducta genere, cui per longam avorum ſeriem id vitium dicebat fuiſſe gentilitium, apud ROBERT. LYONNET. in Diſſertatione *de morbis hereditariis, qua probatur, affectus morboſos Ludovici XIII. fuiſſe adventitios, non profectitios, non hereditarios* Pariſ. 1647. 4. pag. 80.

Alvi Laxitas, MISCELLANEA NATVRAE CVRIOSORVM, Decuria II. Anno VIII. obſervat. 169. pag. 419. *Caeſii* HIPPOCRAT. *De Aere, Aquis & Locis* Cap. 36. *Calvities* Id. ibid. AVICENNA in *Canone* Lib. I. Fen. 2. Doctrina I. Cap. 8. in fine. *Cicatrices*, ARISTOTELES *de Generatione Animalium* Lib. I. Cap. 17. & *in Hiſtoria Animalium* Lib. VII. Cap. 6. vel 9. Sectione 76. Editionis Mauſſaci, Toloſae 1619. fol. pag. 830. *Puncta brachii* IDEM. ibid. utroque loco.

Clau-

20) Vid. JAC. DALECHAMPIVS ad *Plinii Hiſtoriam Naturalem* Lib. VII. Cap. XII. Annotat. b. ANDR. LAVRENTIVS in *Hiſtoria Anatomica* Lib. VIII. Cap. V. Quaeſt. XX. CASP. A REJES in *Elyſio jucundarum Quaeſtionum Campo*, Quaeſt. LIV. num 12. 13.

Claudicatio ARISTOT. in *Historia Animal.* Lib. VII. Cap. 6. Caut. 9. PET. BORELLVS in *Historiarum & Observationum Medico Physicarum* Centuria I. Hist. 7. FRANCISCVS MAVRICEAV *des Maladies des Femmes Grosses, Description Anatomique*, Chapitre IX. p. 44. Tome I. Paris 1721. 4. Ex clauda matre, claudus puer. NICOL. VENETTE *de la Generation* Part. III. Chap. 4. Artic. I. versus finem, pag. 363. Edit. Colon. 1716. 12.

Color Niger. PLINIVS in *Historia Naturali* Lib. VII. Sect. X. (aliis Cap. XII.) ex Aristotele locis citat. quo integra Aethiopum natio referri potest.

Deglutitio difficilis, VOLCHER COITER in *observat.* p. 121.

Digiti praeter naturam facti: sedigitorum, integra familia, LYONNET alleg. l. p. 80. cujusmodi etiam semper aliqui in Bilfingerorum (i. e. Vielfingerorum) gente extitere, *Hamburgischer Briefwechsel der Gelehrten* 1751. Num. 18. p. 278. *Quatuor Pollices*, CASP. DE MONCONYS in *Voyages* Tom. I. p. 13. seq. Edit. Paris. 1695. 12. *Pollex alter major*, CASP. BAVHIN *de Hermaphroditis* Lib. I. Cap. 10. p. 106. familia cui *Manus* in modum *chelarum cancri* erant effictae, LYONNET ibid. p. 80. *Membranae* inter pedum digitos *Anatinae*, GEORG. ERN. STAHL in *Theoria Medica*, Sect. I. s. Physiologia, Sect. IV. de Generatione. p. 255.

Distortio, HIPPOCRAT. *de Aere, Aquis, & Locis*, Cap. 36.

Gibbus, GRORG. WOLFG. WEDEL in *Pathologia*, p. 285.

Contorti Pedes, MARCELLVS DONATVS, de *Medica Historia Mirabili* Lib. IV. Cap. 18. in fine.

Excrescentiae in gingivis, GVIL. BALLONIVS *Epidemiorum & Ephemeridum* Libro 2. Anno 1576. Constitatione Verna & Aestiva, Tomo I. p. 114. Operum, Edit. Venetae 1734. in 4.

Fastidium quorundam ciborum, MAVRIT. HOFFMANN in *Institutionibus Medicinae*, Diss. IX.



Herniae, VALESCVS DE TARANTA *in Philonio Pharmaceutico & Chirurgico*, Lib. VI. Cap. 7. in Appendicibus, p. 650. Edit. Francof. & Lipſ. 1680. in 4. GVIL. BALLON. Lib. cit. Anno 1578. Conſtitutione Aeſtiva, p. 159. GVIL. FABRICIVS HILDANVS *Obſervationum & Curationum Chirurgicar.* Centuria VI. Obſerv. 73. EPHEMERIDES ACADEMIAE *Naturae Curioſorum* Centuria V. Obſerv. 92. p. 171. MICH. BERNH. VALENTINI in *Polychreſtis Exoticis.* p. 81.

Hirſuti FELIX PLATER *Obſervationum* Lib. 3. p. 554. ex patre.

Jactatio capitis naturalis FORTVNATVS FIDELIS *de Relationibus Medicorum* Lib. III. Sect. III. Cap. III. p. 398. Edit. Lipſ. in 8.

Labeones, LYONNET c. l. p. 80.

Labrum Leporinum, RODERIC. A CASTRO *de Muliebrium Morborum Medicina* Parte I. Lib. 2. Cap. V. p. 53. Edit. Colon. 1689. in 4.

Luſci, AMBROS. PARAEVS *Chirurgiae* Libro 23. Cap. 22. in fine.

Macrocephali, HIPPOCRAT. *de Aere, Aqua, & Locis*, Sect. 35.

Mammae tres, OLAVS BORRICHIVS *in Thom. Bartholini Epiſtolis*, Centuria IV. Epiſt. 38.

Manci, Mutili, HIPPOCRAT. *de Genitura* circa finem: ARISTOTEL. de Generatione Animalium Lib. I. Cap. 17.

Memoriae debilitas, FELIX PLATER *in Praxi Medica* Lib. I. Cap. I. PHILIPP GRÜLINGIVS *in Medicina Practica* Lib. I. Part. I. Cap. 8.

Naevi, Verucae, ARISTOTEL. *in Hiſt. Animal.* Lib. VII. Cap. 6. (aliis 9.) JAC. BERENGARIVS CARPVS ſive CARPENSIS in *Commentariis ſuper Anatomia Mundini* p. 272. ACTA ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM Vol. I. Obſervat. 189. p. 420.

Obeſitas,

Obesitas, JAC. WOLF. in *Diss. de obesitate exsuperante* Cap. 3. p. 20. §. 5. p. 39. seqq.

Triorchides, JOH. FERNELIUS *in Pathologia* Lib. I. Cap. VIII. THOM. BARTHOLIN. *in Anatome* Lib. I. Cap. XXII. LUDOV. CAELIUS RHODIGINUS *in Antiquis Lectionib.* Lib. XXIV. Cap. 4.

Urinae per octiduum retentio, CHRIST. FRANC. PAULINI *in Miscellaneis Naturae Curiosorum*, Decuria II. Anno V. Observat. VIII. p. 2. in Appendice.

§. XI.

Aliae quoque recensentur perversae corporis affectiones & Morbi Hereditarii, videlicet:

Abscessus auris, JOH. FERNEL. *in Patholog.* Lib. I. Cap. XI. p. 135. Universae Medicinae Edit. Genev. 1679. fol. sed a matre cui talis abscessus octavo graviditatis mense proruperat.

Aetatum morbi veri omnes, G. E. STAHL in Dissert. *de Hereditaria Dispositione* ad varios affectus, §. 42.

Apoplexia, PET. FORESTUS *Observationum & Curationum Medicinal.* Lib. X. Observ. 75 & 80. Operum Edit. Francof. 1660. in fol. Part. I. p. 409. 410. 411. 419. DAN. SENNERTUS *Practicae Medicinae* Libro I. Parte II. Cap. 33. Quaest. I. FRID. HOFFMANN. in Diss. de *Morbis Hereditariis* §. VI & XXVII. STAHL in Diss. cit. §. 39.

Arthritis, THOM. WILLIS de *Anima Brutorum* Parte II. Cap. XIV. p. 505 & 512. Edit. Amstelaed. 1674. in 12. AND. LAURENTIUS *in Hist. Anatomica* Lib. VIII. Cap. 2. Quaest. V. p. 290. Edit. Francof. in fol. VITUS RIEDLIN *in Lineis Medicis* Anno III. Decemb. Observat. 21. p. 875. JO. HENR. DE HEUCHER in *Operib.* Tomo I. p. 3. *Arthriticis vaga scorbutica*, HERM. GRUBE de *Transplantatione Morborum* Sectione I. Cap.



3. p. 24. sqq. *Podraga* HIPPOCRAT. in *Prorrethico* II. Cap. XI. GALENVS in *Aphorismos* HIPPOCRAT. Lib. VI. Aphoris. 28. PLVTARCH. *de sera Numinis vindicta* versus finem: AVICENNA in *Canone* Lib. I. Fen. 2. Doctrina I. Cap. VIII. in fine & Lib. III. Fen. 22. Tractatu 2. Cap. 5. FELIX PLATER *Observationum* Lib. II. p. 473. Edit. Basil. 1614. in 8. & pag. 488. Edit. Basil. 1680. in 8. IOH. FERNEL, in *Physiologia* Lib. VII. Cap. VI. p. 117. Universae Medic. a matre.

Asthma, PET. FOREST opere cit. Lib. XVI. Observat. 9. Operum omnium Parte III. p. 18. GVERN. ROLFINC. *in Epitome Methodi cognoscendi & curandi particulares Affectus*. Lib. 2. Part. I. Cap. 2. MISCELLANEA NATVRAE CVRIOSORVM Decur. 2. Anno 7. Observat. 133. p. 252.

Caecitas, ARISTOTEL. in *Hist. Animal.* Lib. VII. Cap. 6. Sect. 76. p. 830. IOSEPH LANZONVS in *Observat.* 125. Operum Tomo II. p. 442. Edit. Lausann. 1738. in 4. sive in MISCELLAN. NAT. CVRIOSOR. Decur. 3. Anno 4. Observ. 67. p. 154. STAHL. *de Hereditaria Disposit.* §. 51.

Calculus renum & vesicae, FERNEL *in Physiolog.* Lib. VII. Cap. 6. Universae Medicinae p. 117. a matre: similiter ANDR. LAVRENTIVS in *Hist. Anat.* Lib. VIII. Cap. 2. Quaest. 5. p. 290. BRVNO SEIDEL. de *Morbis Incurabilib.* p. 9. HERM. GRVBE de *Transplantat. Morbor.* Sect. 2. Cap. I. p. 44. seqq. MISCELLAN. NATVR. CVR. Dec. 2. Anno 5. Observ. 63. STAHL. in Dissertat. *de nova pathologia calculi. Nephritis* IOH. FERNEL. in *patholog.* Lib. VI. Cap. XII. Universae Medicinae p. 534. DERMVT. DE MEARA in *Pathologia Hereditaria.* Cap. I. p. 243. *Calculi in pulmonibus*, MISC. NAT. CVRIOSOR. Decur. I. Anno 6 & 7. Observ. 221. p. 327.

Cataracta, GREG. HORSTIVS *Epistolarum* Parte I. Lib. 2. Epist. 2. (allegante Hoffmanno de Morbis Hereditariis §. 6.) ACTA HAFNIENS. Vol. IV. Observ. 70. p. 174. MART. SCHVRIG. in *Spermatolog.* Cap. IV. §. 34. p. 201.

Dolor capitis, MISCELL. NAT. CVRIOS. Decur. 2. Anno 8. Obſerv. 12. p. 47. *pertinax cephalalgia*, WILLISIVS de *Anima Brutor*. Exercitatione ſ. Parte II. Cap. I. p. 247. & Cap. 2. in fine p. 290.

Epilepſia HIPPOCRAT. de *Morbo Sacro* Sect. V. & *Prorrethicor*. II. Sect. XI. NICOLVS apud Marcell. Donatum de Medica Hiſt. Mirabili Lib. IV. Cap. 18. in fine: FERNEL. in *Phyſiolog*. Lib. VII. Cap. 6. p. 117. Operum a matre: ANDR. LAVRENTIVS in *Hiſt. Anat.* Lib. VIII. Cap. 2. Quaeſt. V. p. 290. ſimiliter a matre IAC. HOLLERIVS Ceuturia 2. Curatione 47. BALTHAS. BRVNNER *Conſilio* 16. p. 104. ZACVTVS LVSITAN. de *Praxi Medica Admiranda* Lib. I. Obſerv. 36. plures apud MATTHIAM MORONVM *in Directorio Medico Practico* p. 135. Edit. Francof. 1663. 4.

Eryſipelas, ROB. LYONNET l. c. p. 82. CASP. THEOPHIL. BIERLING. *Adverſariorum* Centuria I. Obſerv. 63. p. 124.

Fatuitas, FORT. FIDELIS de *Relat. Medic.* Lib. III. Sect. III. Cap. III. p. 398. WOLFG. HÖFER in *Herc. Med.* Lib. I. Cap. 6. p. 39. vel Edit. Noriberg 1675. in 4. Cap. 7. p. 57.

Febris. inconſtans, in puero, a matre, ANGELVS VICTORIVS in *Conſultationib. Med.* p. 137. *Ardens*, LYONNET p. 82. *Intermittens Quartana*, FERNEL *Patholog.* Lib. I. Cap. XI. p. 135. IOH. RHODIVS *Obſervationum Medicinal.* Centuria I. Obſerv. 12. LYONNET l. alleg. p. 82.

Intermittens Tertiana LYONNET. ibid. Synochos, IDEM ibid.

Fluxiones, FRANC. VALLESIVS in *Commentariis ad Lib. Hippocratis de Alimento*, editis cum Ejusd. Comm. in Aphoriſmos Hipp. Colon. 1589. in fol. p. 241.

Furunculus aut *Carbo malignus*, PHILIPP. SALMVTH. *Obſerv. Medic.* Centuria 2. Obſerv. 80.

Gutta Serena, IOH. DAN. MAIOR in *Diſſ. de Amauroſi vel gutta ſerena.*



Haemoptysis, G. W. WEDEL, in *Diss. de Aegro Haemoptoe laborante.*

Haemorhagia Narium, MISCELL. NAT. CVRIOS. Decuria III. Anno 2. Observat. 227. Schol. p. 360.

Haemorrhoides, in pueris, VIT. RIEDLIN in *Lineis Medicis* Anno 4. Novemb. Observ. 21. p. 962. MISCELL. NAT. CVRIOS. Dec. 2 Anno 9. Observat. 124. p. 216. FR. HOFFMANN de *Morbis Heredit.* §. 9.

Hydrops, HIPPOCRAT. *Prorrethicô* 2. Cap. XI. PLVTARCH. *de sera Numinis vindicta*, circa medium & finem.

Hypochondriacum malum, EPHEMERID. NATVRAE CVRIOSORVM Centuria V. Observat. 91. p. 171. FR. HOFFMANN de *Morbis Hered.* §. 9.

Icterus, PLVTARCH. de *sera Numinis vindicta* versus finem.

Intemmperies biliosa & phlegmatica, HIPPOCRAT. de *Morbo Sac.* Cap. V.

Ischiadicum malum AVICENNA in *Canone*, Lib. III. Fen. 22. Tract. 2. Cap. 5. LVDOV. MERCATVS de *Morbis Hereditariis*, Operum Tomo II. p. 671. G. E. STAHL de *Hereditaria Disposit.* §. 34. seqq.

Lepra Arabum, AVICENNA Canonis Libro I. Fen. 2. Doctr. I. Cap. 8. in fine, VALESC. DE TARANTA in *Philonio Chirurgico.* Cap. XX. p. 840.

Lienes Magni HIPPOCRAT. de *Morbo Sacro.* Cap. V.

Longaevitas, MISCELL. NAT. CVRIOSOR. Decur. III. Anno III. Observ. 116. p. 206.

Lues Venerea, F. FIDELIS alleg. loco GREG. HORSTIVS *Observationum Medicinal.* Lib. VII. Obs. XI. Operum Tomo II. p. 337. Edit. Goud. 1661. in 4. quae connata fuit: LAZ. RIVERIVS *observationum Med. Communicatarum* Obs. 26. quae itidem connata fuit. ROB. LYONNET de *Morbis Hered.* p. 8. MART. SCHVRIG. in *Spermatolog.* Cap. IV, §. 19. p. 193.

Malacia

Malacia, Pica, FIDELIS dicto loco p. 399.

Mania WILLIS. de *Anima Brutor.* Parte II. Cap. 12. MISCELL. NAT. CVRIOSOR. Decur. III. Anno III. Obſerv. 61. p. 73. & Anno 7. 8. Obſervat. 49. p. 75. item Centuria VI. Obſ. 71. p. 329.

Melancholia, PLVTARCH. de *ſera Numinis vindicta* verſus finem: BALDASSAR TIMAEVS VON GÜLDENKLEE in *Reſponſo Med.* IV. V. VI. VII. p. 866. Operum Edit. Lipſ. 1715. in 4. HERM. GRVBE de *Transplantatione Morbor.* Sect. II. Cap. I. p. 43. ſeqq. PET. FOREST. Lib. X. Obſerv. 13 & 15.

Menſium praecox eruptio, tarditas, anomaliae, STAHL. de *Hered. Diſpoſit.* §. 38.

Muliebria, Graviditatis, Partus, Lochiorum, Lactationis pathemata STAHL, cit. l.

Mutitas & Surditas, FERNEL. *Pathologiae.* Lib. V. Cap. 6. p. 436. Operum.

Nephritis, vid. Calculus.

Ophthalmia, LYONNET d. l. p. 82.

Paralyſis, STAHL. de *Hereditaria Diſpoſit.* §. 39. *Digitorum paralyſis,* ACTA HAFNIENSIA III. IV. Obſervat. 70. p. 173. ſeqq.

Phtiſis, Tabes, HIPPOCRAT. *Prorrethico* II. §. XI. de *Morbo Sacro* § V. & *Epidem.* Lib. III. Sect. II. Aegrot. 6. in fine. PLVTARCH. de *ſera Numinis vindicta* circa medium & verſus finem. AVICENNA in *Canone* Lib. I. Fen. 2. Doctr. I. Cap. 8. in fine. FERNEL. *Patholog.* Lib. V. Cap. X. HIERON. FRACASTORIVS de *Contagione & Contagioſis Morbis,* Lib. 2. Cap. 9. in fine. Operum Edit. Venet. 1574. in 4. p. 90. FRANC. VALLERIOLA *Obſervationum Medicinal.* Lib. III. Obſerv. 6. IOH. ALBERTVS SEBIZIVS in *Exercitationib. Pathologic.* p. 263. ſeqq. MICH. ETTMÜLLER in *Diſſert. de chirurgia Infuſoria* Cap. 2. Concluſ. 6. §. 7. Operum Edit. Genev. 1736. folio Tomo IV, p.



p. 568. inprimisque Praxeos Lib. I. Sect. XVII. Cap. I. Artic. 2. Opp. T. II. p. 681. STAHL de *Hereditaria Disposit.* §. 37. MISCELL. NATVR. CVRIOSOR. Decur. II. Anno 7. Observ. 227. p. 430.

Pleuritis, FERNEL. *Pathologiae* L. I. Cap. XI. Operum p. 135. LYONNET p. 82.

Plica Polonica, IOH. HELWIG in *Observationib. Physico Medicis* Observ. 37. p. 134. seqq.

Podagra, vid. Arthritis.

Rheumatismus, ACTA MEDICARVM BEROLINENS. Decuria I. Vol. V. p. 55.

Salacitas, in puella, EPHEMERID. NAT. CVRIOS. Centuria III & IV. Observ. 156. p. 354. seqq.

Scabies, FR. HOFFMANN de *Morbis Hered.* §. 9. MISCELL. NAT. CVRIOS. Dec. 2. A. 8. Observat. 116. p. 254.

Scorbutus, HIERON. REVSNER in libro de *Scorbuto*: DRAWITZ *vom Scharbock*, Titulo 2. versus finem. GREG. HORST. *Observat. Medicarum* Lib. VII. Observat. 34. §. 12. Operum Tomo II. p. 387. GVALTER. CHARLETON de *Scorbuto* Cap. 2. Art. 5. FRID. DEKKERS in *Notis ad Praxin Barbettianam* Cap. 3. §. 17. VIT. RIEDLIN in *Lineis Medicis.* Anno 4. Octobr. Observat. 24. p. 872. aliique.

Scrophulae, Strumae, AND. LAVRENTIVS de *Strumis* Lib. 2. Cap. 2. p. 212. Edit. Paris. 1609. in 8. IOH. GEORG. KEYSLER in *Hodoeporico Germanico*, Epistola XXXVI. p. 401.

Sensuum debilitates variae, STAHL de *Hereditaria Disposit. ad varios affectus.* §. 40.

Somnambulatio, WILLIS de *Anima Brutor.* Parte I. Cap. XVI.

Stultitia PLATER. *Observationum* Lib. I. p. 2. HÖFER in *Hercule Medico* Lib. I. Cap. 7. p. 47.

Sudor perpetuus, NICOL. TVLPIVS *Observationum Medicarum* Lib. 3. Cap. 42. p. 255. Edit. Amstelaed. 1672. in 8.

Surditas,

Surditas, MISCELL. NAT. CVRIOSOR. Decur. III. Anno IV. Obſervat. 67. p. 154. Conf. ſupra Mutitas.

Variolae lethales. IOH. BAPT. SYLVATICVS *Quaeſt.* 91. FRANC. RANCHINVS in *Pathologia Univerſali* Sectione II. Cap. 22. p. 144. Opuſculorum edit. Lugd. 1627. 4. HOFFMANN de *Morb. Hered.* §. 8.

Vertigo, ROLFINC. apud HOFFMANN. d. l. §. 6. STAHL de *Heredit. Diſpoſitione* §. 39.

Veſiculae ſive Vomicae Pulmonum & Hepatis, MARCELL. DONATVS de *Medica Hiſt. Mirabili* Lib. IV. Cap. 18. in fine.

Vitiligo alba, AVICENNA in *Canone* Lib. I. Fen. 2. Doctr. I. Cap. 8. verſus finem.

Ulcus naris dextrae, a matre in filia, PHIL. SALMVTH. *Obſervationum Medic.* Centuria II. Obſ. 81.

§. XII.

Ex his, quae de ſimilitudine Liberorum cum Parentibus aut majoribus adhuc allata ſunt exemplis videre licet, eam non minus in Naturali hominum ſtatu, quam in Praeternaturali, non tantum in corporis ejusve partium conformatione & conſtitutione Animique viribus, ſed etiam in effectis & accidentibus, i. e. in intima hominis Natura deprehendi. Unde ſummo certe probabilitatis gradu ſequitur, ut talis ſimilitudo profecta natave fuerit a genitoribus, ſive ut parentes valeant liberos ſui ſimiles ex ſe ſe & ex natura ſua procreare. Neutiquam enim veriſimile fit, facta eſſe ſemina quorundam futurorum hominum ſeu parentum & liberorum ita per ſe ſibi invicem ſimilia, ut ſine ſuorum parentum ope vel additamento naturam cum iisdem eandem exacte referant & in formam adeo conſimilem increſcant. Fac vero, ita ſimilia eſſe ſemina: tamen quis credat, eadem non in alia parentum corpora infundi; quam eorum qui ſimilem adeo ſecum naturam ge-

rant? quum e contrario manifestum sit, saepe quoque dissimiles parentibus procreari liberos. Longe certe majorem veri speciem habet, Liberos id, quod in iis simile est parentibus ab ipsorum parentum genetrice nancisci virtue, quemadmodum surculum ex stirpe. Nam nec aliter existere possunt liberi, nisi opera parentum: & quum hi illis dent, quod sint, recte pro causa eorum affectrice naturali & essentiali habentur.

§. XIII.

Nimirum ex iis, quae circa Generationis negotium contingunt & observantur, a priori fortassis demonstrare licebit qualitates & affectiones liberorum, quae illis parentum similes sint, non aliunde, nisi a parentibus esse producive posse, & hac ratione nomen Hereditarium legitime mereri. Principio constat inter omnes semen Patris plane necessarium esse ad sobolem procreandam; tametsi non omne id, quod masculini seminis nomine comprehenditur, ad efformanda futuri hominis rudimenta impendatur, sed tantum minima ejus subtilissimaque particula. An Mater semen aliquod conferat dubitatum est. Antiqui Medici fere omnes in hoc consentiunt utrumque parentem aliquid in congressu conferre, unde stamina embryonis constituantur. Nominatim HIPPOCRATES 21) statuit & marem & foeminam materitiam futuri foetus seminalem utriusque sexus, i. e. marem rudimenta tam masculi foetus, quam foeminini, gestare & perinde mulierem: utrumque semen si in coitu commisceantur tum, si masculinum semen fuerit robustius, foetum nasci masculini sexus, si contra muliebris seminis major vegetiorve fuerit virtus, formari puellam. Hippocrati astipulatur GALENVS, & totus fere Medicorum veterum chorus.

§. XIV.

21) *de Genitura* Cap. VII. de *Diaeta* Lib. I. passim. de *Natura Pueri* in principio. &c.

§. XIV.

ARISTOTELI 22) tamen cum ſuis ſectatoribus aliter viſum eſt. Refutat enim eam ſententiam, quae mulieribus ſemen adſcribit; neque hoc ex eo comprobari poſſe ait, quod mulieres nonnunquam in coitu vel in libidinis aeſtu humorem profundunt: hunc enim aſſerit non eſſe ſemen. Verum ut de recentioribus experimentis, quae cooperantem foeminarum materiam ſeminalem aſtruunt, nihil dicam; jam olim MELCHIOR SEBIZIVS 23) ex ipſis certis, quae veteribus de genitalibus partibus earumque functionibus jam cognita erant, principiis & ex obſervationibus communibus oſtendit, Mulieribus utique etiam ſuum ineſſe ſemen, idque prolem procreandi virtute donatum: ut, quia tantus vaſorum omnis generis apparatus ad aliud elaborandum praeſto eſt: quia in opere conjugali ferventiore plane aliquid projiciunt: quia pollutiones experiuntur, & quae ſunt reliqua. Unde etiam reliqui Philoſophi communem ſequuti ſunt opinionem, quam LVCRETIVS CARVS 24) his verbis exprimit,

Semper enim partus duplici de ſemine conſtat,

patrio ſcilicet & *materno*, ut ante dixerat. Quanquam ſunt quoque recentiorum nonnulli, qui mulieribus ſemen foecundum omnino abjudicent.

§. XV.

Parum tamen explicate in veterum ſcriptis docetur, quid illud ſit, quod ſtamina futuri hominis contineat & ſic verum ſemen

22) de *Generatione Animalium* Lib. I. Cap. 19 & 20.

23) in *Exercitationibus Medicis*, Diſp. 31. Problemate VI. & Diſp. 32. tota, vel Edit. Argentorat. 1672. in 4. p. 302. ſeqq.

24) de *rerum Natura* Lib. IV. verſu 1223. Conf. ROB. LYONNET. c. l. p. 5. & 80. ſeqq.



ſemen conſtituat: Niſi forte HIPPOCRATES vel quisquis autor eſt libri I. de *Diaeta* in Hippocraticis Operibus reperiundi, hanc rem luculentius exquiſitiusque expoſuit. Scilicet doctrinae, quae iſthic traditur, de Generatione haec ſumma eſt: Exiſtere Animas, i. e. ſubſtantias ex Igne & Aqua tanquam communibus omnium rerum naturalium principiis, compoſitas: has in omnibus animantibus ejusdem eſſe naturae vel eſſentiae: easdem ingredi in corpora hominum congrua, in his juſto tempore & loco augeri, & corpus ipſis apponi ex partibus, unde corpus parentis conſtat, & quae ſimiliter in hominem foris ingrediuntur: in coitu vel ab utrisque parentibus emitti ſemen ejusdem ſexus, vel ab altero maſculum, ab altero faemineum, ſemper autem confundi inter ſe ſe Animas, quatenus ex iisdem conſtant principiis; ſexum vero eum naſci, qui fortior in concurſu fuerit, & quae ſunt reliqua latiusque & ſumma cum eruditione expoſita ſunt a Viro Celeberrimo IOH. MATTH. GESNERO in Diſſ. de *Animabus Hippocratis*, Goettingae 1737. in 4. & in *Commentariis Societatis Scientiarum Goettingenſis*, Tomo I. p. 67. ſeqq.

§. XVI.

Caeterum accuratior inquiſitio oſtendit in Mulieribus exiſtere corpuſcula quaedam utcunque *globoſa*, juxta uterum ſita; materiam intus membranis includentia, hinc propter figuram pariter ac reliquam ſimilitudinem Ovula dicta, ſive ſint tantum illa in viſum incurrentia, ſive adhuc minora in luteis, quae vocantur, corporibus deliteſcentia: De quibus quid a vetuſtiſſimis usque temporibus adhuc diſputatum ſit, complures enarrarunt, e. c. CHRISTIAN. FRIDERIC. GARMANNVS in *Oologia*, ALBERT. HALLERVS *ad Boerhaavii Inſtitutiones Medicas* §. 669. 670. caet. Et quanquam fuerint, & adhuc ſint, qui Ovula haec negent ad concipiendum foetum eſſe facta,

aliisque modis conjunctionem masculini ac foeminini seminis explicare satagant, in quibus est Vir celeberrimus Dn. DE BVFFON 25); tamen credendum potius erit, tot oculatissimorum testimoniis ovula afferentium, adeoque captis experimentis confirmantium, sese impraegnata ovula tum in ovario, tum in Fallopiana tuba, tum in ipso utero deprehendisse; qua in re praesertim curiosissimi RVYSCHII industria emicuit. 26) Hoc constat, si sola tantum ovaria, quibus ovula haec comprehenduntur, exsecta vel destructa fuerint, ut fit in animalibus quae castrantur, caeteris partibus integris manentibus, tunc pariter infoecunditatem consequi, ac si mares testibus privantur. Quapropter necesse est, ut in ovariis aliquid existat, quod ad impraegnationem concurrere debeat: & hoc illud est, quod Muliebre semen recte vocari videtur. Adeoque in hujusmodi ovulis, observatum est, a solertissimo naturae indagatore MARCELLO MALPIGHIO jam ante virilis seminis accessum sive impraegnationem rudiora futuri foetus lineamenta deprehendi, quae vero demum post foecundum cum mare congressum perfectiora fiant 27). Unde colligendum videa-

25) in *Histoire Naturelle avec la Description du Cabinet du Roy* Tome II. Chap. V. p. 80. seqq. versionis Teutonicae, & Chap. VI. seqq.

26) Vid. FRID. RVYSCHII *Thesaurus Anatomicus* VI. ISBRAND. DIEMERBROECK in *Anatome* Lib. I. Cap. 24. Operum p. 135. ACTA HAFNIENS. 1673. p. 5. seqq. MISCELL. NATVRAE CVRIOSOR. Decur. I. Anno 6 & 7. Observat. 196. p. 287. CLERICI & MANGETI *Bibliotheca Anatom.* p. 550. LITTRE *Memoires de l'Academie des Sciences*, Edit. Paris. Anno 1701. p. 109. seqq. p. 143. seqq. *Histoire* 1703. p. 42. num. 13. *Medical Essays by a Society in Edinburgh* Vol. V. Part. I. Artic. 22. p. 336. seqq.

27) *Operum* Tomo II. de *formatione pulli*, p. 2. Edit. Lond. 1686. fol. Conf. BVFFON. alleg. l. Tome II. Chap. VI. p. 61. versionis Teutonicae.



videatur, maris ſemen majore praeditum eſſe virtute agente.

§. XVII.

Quum itaque certum ſit, in utroque parente tale quid exiſtere quod ad primordia foetus conſtituenda neceſſarium ſit, h. e. foecundum ſemen; conſiderandum eſt, unde proveniat illud ſemen, & quam operoſe elaboretur? Hic cogitemus ingentem vaſorum omnis generis apparatum in utroque ſexu conditum eſſe, qui ad hoc unum ſpectat, quo ſemen conficiatur. Nam univerſum ſpermaticorum, ſicut appellantur, vaſorum ſyſtema concurrit, in foeminis quidem ad ovaria, in maribus autem ad teſtes. Ut igitur in reliquo corpore per ejusmodi ſtructuram vaſorum organicam aliquid in extremo, ad quem pertingunt, loco ſecernitur: ita quoque in teſtibus ovulisque peculiarem aliquem humorem deponi, nullum reſtat dubium. Neque tamen hic ſeminalis humor aliter ita perficitur, ut ad ſobolem progenerandam idoneus ſit, niſi poſtquam perfectum adultae aetatis terminum attigit homo, & niſi juſtis partium viribus polleat. Unde ſequitur, ut haec materia ſit elaboratiſſimae exquiſitiſſimaeque naturae & tanquam delibatus totius opificii humani vel animalis oeconomiae flos. Qui quod non in alia loca confluat quam in teſtes muliebres ac viriles, ejus rei rationem jam pulchre reddidit HIPPOCRATES 28); docens hoc fieri propter aptam loci convenientiam.

§. XVIII.

Jam vero MALPIGHIANIS 29) praeſertim obſervationibus comprobatum eſt, poſt factam conceptionem illud in ovulo con-

28) de *Diaeta* Lib. I. Cap. VII. Commata 14 & 21 ſeqq.

29) in *Operibus Poſthumis* Lond. 1697. fol. p. 81 ſeqq. Add. RVYSCHIVS c. l., THEODOR. KERKRING. in *Anthropogenia*. IOH. BAPT. BIANCHI in *Hiſtoria de Generatione*, Tabula I. &c.

conclusum rudimentum hominis cum partes solidas certa figura posituque conformatas habere, tum proprio vitali fluidorum in iis contentorum gaudere motu. Qua in re quum organismi conceptus versetur, sequitur, ut organica ratione jam constructum sit illud principium hominis. Talem Microcrosmi fabricam a particulis in seminali materia confusis per se caeco construi posse impetu, non magis credibile est, quam arborem herbamve ex fortuito Atomorum concursu nasci & crescere, non ex semine quo jam minima totius plantae lineamenta comprehenduntur, ut experimentis constitit. Restat, ut vel potens ad hoc efficiendum opifex adsit, qui talem adumbratam hominis figuram ab initio construat: vel ut seminalia hominum stamina jam ante condita sint, quae demum in parentibus incrementum capiant. Quod ad opificem attinet, is Divina Creatoris virtute polleat, necesse puto: siquidem nihil interest, utrum in prima rerum omnium origine conditum aliquid sit, quod nimirum Dei Creatoris opus est; an postea demum ab integro condatur. Quare nec Animae Rationali parentum aut ipsius embryonis hanc vim tribuere licebit: praesertim quum haec nec quicquam ejus negotii sibi conscia sit. Pariter nec ad aliam quamcunque praeter Deum, virtutem Creatricem confugere licet. Deum intercedere & seminalem parentum materiam in futuri foetus formam coaptare, nullam habet veri speciem: Nam quum semel omnium rerum stamina seminalia creare potuerit, hoc utique in prima rerum origine factum esse longe probabilius est, quam novam semper comminisci creationem.

§. XIX.

Quare, quum nec fortuito casu coagmentari queat humana fabrica sua vi subsistens agensque: nec Rationalis Anima, vel quaelibet alia creata vis, potentia, talem organicam sub-



ſubſtantiam procreandi gaudeat: nec Deum omnipotentem deceat advocare ad ſingulas de integro fingendas hominum ſpecies; nihil amplius ſupereſt, niſi ut ſtatuamus Deum in principio rerum univerſarum cuncta ſimul & ſemel condidiſſe prima futurorum hominum omnium elementa ſeu ſeminalia ſtamina, quae demum in parentum locis genitalibus (ſive ibi jam a principio lateant, ſive cum aëre vel aſſumtis aut applicatis ingrediantur, nunc non diſputo, quanquam poſterius magis credibile videatur) in perfectam hominis formam excreſcat. Qua in re ſimilitudinem aut analogiam deprehendere licet, inter plantarum & animalium genus: quemadmodum enim vegetabilium primae quaſi lineae jam in ſeminibus ipſorum reconditae ſunt, quae deinde per appoſitionem nutrimenti in juſtam magnitudinem atque habitum increſcunt: ſimiliter animantium & in his quoque hominum prima ſtamina jam ante conceptionem in ſeminibus abdita latent, & poſthaec tantum magis explicantur.

§. XX.

Facile autem perſpicitur, haec prima partium omnium initia, quae prolis quaſi compendium conſtituant, non niſi minima eſſe poſſe. Eadem porro ſtamina, ſuis ſingula locis poſita, in confeſſo eſt, deinde magis magisque augeri, & veri hominis ſpeciem adipiſci, h. e. explicari, produci, in alium ſitum poſitumque mutari, quemadmodum videri poteſt apud MALPIGHIVM, RVYSCHIVM, KERKRINGIVM, aliosque qui continuum embryonis incrementum deſcriptione & figuris expoſuerunt. Creſcere vero foetum, & in varias ſubinde figuras transmutari, per nutrimentum ab ovulo & humore ſeminali primum, poſthaec, & plurimam quidem partem, ab utero receptum, motumque vitalem, eximie demonſtravit BOER-

HAAVIVS 30). Caeterum in hac amplificatione ſemper homogenea partibus jam praeſentibus apponi putandum eſt, & nutrimenti applicationem non niſi primae ac ſeminali fabricae convenienter i. e. ad praeſcriptum partium jam ante in ſtaminibus delineatarum, fieri poſſe: ſive ut HIPPOCRATES 31) ait, *Locum ſingula ſuum obtinent, ac ſervant: Peregrina vero, quae non ſunt ejusdem modi, ex alieno ſeu minus congruo loco extruduntur, neque enim poteſt quod non eſt ejusdem generis, in locis non convenientibus conſiſtere, ſed tum demum particulae, quum ſui ſimilibus commiſcentur, cohaerent: Congruum enim aſſidet congruo: incongrua contra ſibi mutuo adverſantur, pugnant & diſcedunt a ſe invicem.* Et tali modo omnia in generatione Mechanice contingunt: nec opus eſt confingere plaſticam aliquam virtutem, ſimilemve incognitam poteſtatem. Et quanquam principium movens in iſtis foetus rudimentis adeſſe oportet, tamen ad efformandum corpus materialem quandam Animam, ſeu ſpiritum ſubtiliſſimum pariter ac mobiliſſimum, ſufficere puto.

§. XXI.

Quae quum ita ſint, concludendum erit, ipſam illam minimam particulam ſeminalem, quae principium dat conceptui foetuique futuro, non eſſe a parentibus, ſed per ſe ſubſiſtere, & tantum in parentum corporibus, maximeque in genitalibus locis, augeri variasque ſubire mutationes, tam ante conceptionem, quam poſt. Non enim repugnat, quin ejusmodi ſtamina utpote ex materia reliquarum rerum naturalium conflata, per mutuam aliarum particularum actionem & incur-

30) in *Inſtitutionibus Medicis* §. 675. ſeqq.
31) de *Diaeta* Lib. I. Cap. VII. Commate 14. 17. 22. ſeqq.



incurſum quasdam compreſſiones, extenſiones, dimotiones, diſtorſiones, additamenta, detrimenta, pluresque alias mutationum vices patiantur. Unde variae inprimis adeo rudimentis exiſtere poſſunt affectiones conformationesque, ad quarum modum deinde totum corpus conſtruitur. Interim exiſtimandum eſt, magis conſtantem neque ita mutationibus obnoxiam eſſe horum principiorum fabricam quam eorum quae poſtea a parentibus & alimentis accedunt. Idem animalculum ut ita dicam, non videtur interire totum, ſed etiam poſt mortem corporis, quod poſtea per nutritionem acceſſit, ſupereſſe: ſed tamen ita mutatum, ut in conceptione praeſentes partes ſolidae, lineamenta foetus conſtituentes vere nomen *ſpermaticarum* mereantur, quod a veteribus 32) quidem omnibus illis partibus tributum eſt, quae immediate ex ſeminis craſſamento coaleſcunt.

§. XXII.

Quae porro ad iſtud ultimum humanae formae principium accedunt & ipſi quaſi corpus faciunt, duplicis generis ſunt: Vel enim a ſeminali patris matrisve materia accreſcunt, vel poſt conceptionem a materno ſanguine adducuntur & in foetus naturam habitumque tranſeunt. Ea quidem, quae poſt editum partu infantem accidunt, quum ad praeſens Hereditariarum affectionum argumentum proprie non pertineant nunc ſilentio praetermitto. Seminalem parentum materiem ex omnibus, quae quidem in foetus rudimentis efformandae erunt, partibus parentum eſſentialibus decerptam eſſe, ſaltem iſtis partibus homogeneas particulas continere debere, diffiteri non licet:

32) vid. MELCH. SEBIZIVS l. c. p. 116. 119. 188. DAN. SENNERTVS in *Inſtitutionibus Medicis* Lib. I. Cap. X. p. 9. ſeqq. Edit. 4. Wittebergi 644. in 4.

licet: Similes enim, vel homogeneas partes non nisi ex homogeneis misceri, & coalescere posse, manifestum est. Id quod tamen haut aliter intellectum velim, quam ut statuam, partes parentum ad illas foetus fingendas concurrere debere, quatenus virtutem tales constituendi partes possident, non ut reapse jam constitutae sint. Caeterum liquet staminum embryonis mechanismum seu structuram & confirmationem utique concurrere debere ad singulas partes effingendas. Accedit, quod seminalis humor non nisi post longam atque operosam in parentibus elaborationem ac secretionem perficitur, & ad generandam prolem idoneus fit: Quam ob causam eum ex abditissimis corporis parentum penetralibus depromptum esse oportet. Nec minus sequitur, ut hae in genitale semen confluentes particulae naturam, proprietates, affectionesque corporis & partium, ex quibus ita depromtae sunt, expresse referant: Unde non potest non existere insignis inter parentes natosque similitudo. In eam denique, quae modo proposita est, senteutiam interpretanda vel admittenda videtur antiquorum opinio qua tradiderunt, semen ex omnibus & singulis corporis partibus membrisve provenire 33).

§. XXIII.

Quae ad conceptum embryonem ex materno sanguine per nutritionem adjunguntur, pariter qualitates & affectiones matris, quatenus eae in sanguine resident, non possunt non secum vehere atque in foetum transferre, & hactenus similitudinem cum matre inducere. Nam & cibus potusque, quibus editus in lucem homo fruitur, cum alimento dotes suas corpori inprimunt. Quanto magis sanguis, exquisita oecono-

miae

33) Vid. praeter alios SEBIZ. & SENNERT. alleg. ll. ille quidem Exercitat. 33 & 34. f. pag. 32 seqq. hic vero p. 80.



miae animalis omniumque viſcerum ac vaſorum actione elaboratus? Non tamen ita alte haerere putandae ſunt affectiones, quae per maternum ſanguinem in foetum inferuntur, quam eae, quae per ſeminalem humorem applicantur. Nam quia ſem in ales pariculae primum, adeoque in ipſis rudimentorum foetus initiis, & origine cum iisdem coaleſcunt, poſteaque per ſubſequentes aliarum particularum appulſus perpetuo magis ac magis affiguntur; cum intimius intrant in contextum corporis; tum fortius haerent, quam eae quae poſthaec accedunt & cum ſangnine materno importantur.

§. XXIV.

Quum itaque, ut ex iis, quae adhuc allata ſunt manifeſtum eſt, embryo partim ex ſemine utriusque parentis, partim ex materno ſanguine conſtruatur, & inde complementum ſui corporis in utero accipiat: ab ambobus antem principiis non poſſit non ſimilitudinem cum generantibus, eorum naturam, qualitates, proprietates, & affectiones referre: hoc denique Hereditarium appelletur, quod liberi a parentibus habent & contrahunt, ſequitur ut reapſe dentur Hereditariae in natura liberorum qualitates. Et ſic videmus Rationem a priori quoque cognoſcere, quod Experientia in exemplis oſtendit: & quod haec tantum veriſimile fecit, illam certo comprobare ac demonſtrare. Porro ex poſitis plurima, quae in materia generationis occurrunt explicatu difficilia atque perplexa, plana fiunt: ut, unde ſimilitudo liberorum cum parentibus? ab homogeneis in ſemine ſuccisque parentum particulis, quae foetui inoleſcunt & coagmentantur. Cur gemelli plerumque ſibi ſimiles? vid, SEBIZ l. c. Exercitatione XLIII. Problemate VI. quia ſimul ex eadem ſeminali materia concipiuntur eodemque matris humore nutrimentum capiunt. Cur plerumque aliquas cum utroque parente ſimilitudinis notas gerant liberi? nimirum

rum quia ex utriusque parentis ſemine ſuccisque conflatur embryon. Cur idem ſaepius plus ſimilitudinis cum matre habeat, & praeſertim in Hybridis magis matrem referat animal, ut ex vulpe matre & cane patre animal naſcitur, quod ad vulpis ſimilitudinem propius accedit, ex equa & aſino mula &c,? quia longe maximam ſui partem foetus nutrimento a matre accepto debet. Cur nunc patris formam ac naturam exprimant nati, nunc matris? prouti plus ex ſemine matris vel patris accepere. Cur morbida diſpoſitio ipſaque matris neceſſitas ab Adamo usque perpetuo propagata ſit? quia parentes ſemper ſui ſimiles procrearunt. Et quae ſunt ejus generis alia. Quanquam autem haec ita ſe habeant, & ſimilitudo liberorum cum parentibus ſic ſatis conſtet; tamen non putandum eſt, non poſſe etiam naſci liberos multis in rebus parentibus diſſimiles, quod experientia docet. Quot enim non aliae cauſae in foetum agere poſſunt, quot ipſi caſus in utero accidere? verbo quot Adventitiae, Connatae ſimilem contingere affectiones. Ut nihil dicam de iis, quae poſt partum a lacte nutritio, ab alimentis, ab educatione, a conſuetudine, a caeteris accedunt.

§. XXV.

Vidimus, corpus hominis fere totum ex particulis componi, quae extrinſecus accedunt & primis partium ſeminalibusve ſtaminibus apponuntur, implicantur, coaleſcunt; quae quidem a veteribus dictae ſunt *Sanguineae* ſive *Carnoſae* partes, quanquam Spermaticae quae ab iisdem appellatae ſunt, huc etiam quadamtenus pertineant, ſi ad eorum mentem id vocabulum explicetur, ſicut ſupra dictum eſt. Hae igitur partes, quae corporis molem efficiunt, quum tantum ſeminalibus vere dictis adjungantur, non autem originariae ſint, propterea videntur & amitti conſumique & denuo regenerari ſine interitu functionis poſſe, modo ſeminales fibrae & vaſcula reſti-



terint integra: veluti pluribus demonstrat ROBERTVS LYONNET de *Morbis Hereditariis* p. 5 & 8. Hinc videre licet quotidie deperditas vulneribus, fracturis, attritu, resectione aliisve causis, partes etiam solidas, cutem, ungues, pilos, ossa, carnem, virtute naturae renasci, facultatemque suam recipere nisi majus aliquod impedimentum obstiterit. Hanc sententiam quoque mirifice confirmat TAGLIACOTIANA *Curtorum Chirurgia*: quam non solum scriptis publicis traditam esse, sed & opere monstratam; locuples cum aliis testis est DANIEL SENNERTVS 34).

§. XXVI.

Ex eadem ratione sequitur, ut similitudinis in liberis species, proprietates, affectiones & Morbi Hereditarii possint mutari, supprimi, aboleri, si fortiores causae contra egerint vel applicatae fuerint, aliasque qualitates induxerint. Quas tamen causas contrarias oportebit esse satis valentes satisque diuturnas, pro diversa proprietatis aut affectionis Hereditaria firmitate. Nimirum quoniam, ut ex superioribus in memoriam revocandum est, corpus foetus ex duplici materia componitur, seminali altera, altera ex sanguine matris: in solo autem corpore illa, de qua loquimur, similitudo & hereditariae qualitates locum habent, (nam prima futurorum hominum elementa, corporis proprie dicti expertia, in omnibus eadem sunt,) hinc quoque duplex existit qualitatum hereditariarum genus, unum illarum, quae cum ipso seminali liquore migrant in posteros, alterum earum quae cum alimento a genetrice subministrato transmittuntur. Quapropter in universum quidem facile existimare licet, omnes Hereditarias proprietates esse stabiles superatuque perdifficiles: attamen illas, quae cum semine

34) *Institutionum Medicinae* Lib. V. Parte II. Sect. II. Cap IV. p. 1209. Alios excitat IOH. ZACHARIAS PLATNER *Institutionib. Chirurgiae* §. 593. & ALBERTVS AB HALLER ad *Boerhaavii Methodum Studii Medici* p. 229. it. p. 322.

semine complicatae sunt, firmiores habere radices, autumandum est, quam istas quae ex sanguine matris originem trahunt.

§. XXVII.

Rursus quia tam Humores quam solida foetus ex parentum materia procreantur, non tantum firmarum, sed fluidarum quoque partium qualitates fieri possunt Hereditariae: praesertim quum utraque ita inter se connexa sint, nec neutrum sine altero consistere queat, sed unum ab altero pendeat, & affectiones sibi suas mutuo tradant. Proinde hac in re, cum DERMVTIO DE MEARA 35) dissentiendum existimo ab ANDREA LAVRENTIO 36) ROBERTO LYONNETO 37) FRIDERICO HOFFMANNO 38) caeteris, qui solidarum tantummodo partium morbos existere Hereditarios asserunt, & cum semine, non cum materno sanguine in natos traduci. Ex quibus tamen paulo inconstantior LYONNETVS, primum quidem *eos modo morbos a fluitantium humorum prava qualitate provenientes excipit, qui nativam solidarum partium temperiem nondum mutarunt, vel qui ab humorum vitio solidis partibus nondum communicato emergunt: deinde vero non diffitetur, materni sanguinis commercio salubrem aut morbidam dispositionem transferri; nec dispositionem tantum, sed quendam velut habitum; non eum quidem firmum & stabilem, sed fluidum & mutabilem*, caet. Neque hoc ego non concedo, ut a materno sanguine morbus in foetum transeat, eum firmius diutiusque sanguini matris impactum esse debere, non ab occasionali quadam causa tempore demum gravidatis ortum esse, qualis

35) in *Pathologia Hereditaria* Cap. III & V. p. 251. seqq. & 261. seqq.

36) *Historiae Anatomicae* Lib. VIII. Cap. 2. Quaest. V. & Cap. 3. Quaest. IX.

37) de *Morbis Hereditariis* p. 8. seqq. & p. 80. seqq.

38) in Diss. de *Affectibus Hereditariis* §. 13 & 14.



lis morbus, si infantem quoque jam in utero corripuerit, vel ad morbos foetuum Uterinos vel ad Connatos referendus est. Neque valde repugnaverim, quo minus propter aliquam, quae certe inter morbos, a seminali materia natos solidisque partibus inhaarentes & illos a sanguine matris inductos & in humoribus tantum hospitantes intercedit, differentiam, posteriores cum LVDOV. MERCATO 39) LYONNETO 40) HOFFMANNO 41), *improprie* aut non legitime *Hereditarii* seu *Spurii* vocentur.

§. XXVIII.

Igitur si qualitates Hereditariae solidis partibus inoleverint, has utique fortius pertinaciusve resistere causis mutantibus, quam eas quibus fluida infecta sunt, facili est ad credendum. Mutationes autem vel interitus hujusmodi Hereditariarum qualitatum, pro diversitate originis & partium affectarum, varie contigisse observatum est. STAHLIVS 42) quidem affirmat, *morbidas dispositiones Hereditarias satis raro ad tertiam usque generationem admodum sensibiliter pervenire, & longe rarius, immo rarissime, hanc transcendere, excepta tamen convulsione.* Verumenim vero ne hoc assertum ita simpliciter admittam, suadet partim HIERON. FRACASTORII 43) autoritas exempla afferentis *quarundam familiarum, in quibus usque in quintam & sextam generationem omnes eadem tabis conditione perire, & quidam eadem aetate:* partim recensitae in enumeratione qualitatum affectionumque Hereditariarum species, sigillatim Atretorum, Sedigitorum, Gentilitiarum Notarum, quae per longas generantium & generatorum series perpetuae fuere. Cui opinioni adhuc majus accedit robur, si Nigrum Aethiopum colorem, aliasve congenitas prosapiarum

39) *Operum* Tomo II. p. 673.
40) l. c. p. 8. seqq. & 80.
41) d. l. §. I.
42) de *Dispositione Hereditaria* §. 74 & 75.
43) de *Morbis Contagiosis* Lib. II. Cap. IX. in fine.

ſapiarum ſimilitudines contemplamur, quae multis ſaeculis inextinctae perdurarunt. Aethiopum tamen colorem debilitari adeoque immutari & paulatim exoleſcere conſtat in liberis, ſi diverſi coloris parentes conjunguntur. Per graves morbos magnas aliquando factas eſſe in natura corporis mutationes exemplis deprehenſum eſt: neque dubitandum eſt, tali modo nonnunquam Hereditarias affectiones tolli poſſe. Maxime tamen fas eſt credere, Hereditariam diſpoſitionem validiore alterius ſeminis aut ſanguinis incorrupti virtute immutari, vel contraria victus ratione aut curatione ſemen parentum inverti poſſe, ut ſic prior affectio ſponte hebetetur, *quum ſit merum accidens*, ceu loquitur LYONNETVS 44).

§. XXIX.

Ex his colligi poteſt, minus recte rationes ſubduxiſſe eos autores, qui in univerſum inſanabiles eſſe, dixerunt morbos hereditarios ut ARNALDVS DE VILLA NOVA 45) RODERICVS A CASTRO 46) & alii apud DERMVT DE MEARA 47). Nimirum licet effectus ſeu morbus actu coortus, & actiones humanas pervertens, abigatur vel ut ſcribit BRVNO SEIDELIVS 48) *etſi aliquando ſumma cura & victus accuratiſſima obſervatione nonnihil ſublevatus eſſe videatur, nunquam tamen*, *credunt*, *proclivitatem ad iſta mala penitus eximi*, *quin leviſſimo etiam errato commiſſo ille redeat; adeſſe enim & inhaerere congenitam impotentiam naturalem ad ſanitatem integram.* Potius aſtipulandum erit HIPPOCRATI, qui epilepſiam ſanabilem dicit,

44) l. c. p. 9.

45) in *Parabolis Medicationis*, Doctrina IV. Cap. XIX. Aphoriſmo 8. p. 983. Edit. Baſil. 1585. fol.

46) *in Medico Politico* III. 18.

47) d. libro Cap. XI. p. 298. ſeqq.

48) *de morbis Incurabilib.* p. 9.



cit, quamvis hereditaria sit, in Libro *de morbo sacro* 49) & DERMVTIO DE MEARA qui *etiam hereditarios affectus non esse insanabiles*, in universum pronunciat 50).

§. XXX.

Porro, quum omnes corporis nostri qualitates & affectiones vel in solidis consistant, vel in fluidis: & nihil praeter haec duo in corpore reperiatur: eademque omnibus physicis mutationibus subjecta sint; sequitur, ut etiam omnis generis & modi qualitates fieri possint hereditariae, speciatim cum IOH. FERNELIO 51) FORTVN FIDELI 52), aliisque, contra DERMYTIVM DE MEARA 53) ROB. LYONNETVM 54) aliosque statuendum erit, etiam omnes morbos posse fieri hereditarios, si reliquae causae ad eos producendos concurrerint. Adeoque suffragatur huic sententiae recensus tot hereditariorum morborum supra propositus.

§ XXXI.

Animadversione dignum est, quod quanquam plerumque a parentibus proxime in liberos transeant proprietates hereditariae, tamen aliquando ab Avis aliisque Majoribus demum ad Nepotes & ulteriores Posteros exortum suum differunt, ita ut liberi interim proximi & propinquiores sanguinis heredes ab earum effectu immunes maneant. Vetustissimam hanc observationem his versibus comprehendit LVCRETIVS 55):

Fit

49) Cap. V.
50) alleg. l. p. 300 seqq.
51) *Pathologiae* Lib. I. Cap. XI.
52) de *Relationibus Medicor.* Lib. III. Sect. III. Cap. III. p. 399.
53) in *Pathologia Hereditaria* Cap. III. p. 253. seqq.
54) in libro saepius allegato passim.
55) de *rerum Natura* Libro IV. vers. 1212. seqq.

Fit quoque, ut interdum Similes exiſtere Avorum
Poſſint, & referant Proavorum ſaepe figuras (liberi)
Propterea quia multa modis primordia multis
Miſta ſuo celant in corpore ſaepe Parentes,
Quae Patribus Patres tradunt a ſtirpe profecta.

Idem confirmant partim etiam exemplis in medium allatis corroborant, HIPPOCRATES 56) ARISTOTELES 57) C. PLINIVS MAIOR 58) VALESCVS DE TARANTA 59) AMBROSIVS PARAEVS 60), LVDOV. MERCATVS 61) FORTVNATVS FIDELIS 62), DERMVTIVS DE MEARA 63) PET. BORELLVS 64), ROB. LYONNET 65), CASPAR A REJES 66), VITVS RIEDLINVS 67) MARTIN. SCHVRIGIVS 68) IOH. HENRICVS DE HEVCHER 69) caet. Adeoque CASPAR. A REJES 70) *ſuo quidem tempore, teſtatur in quam plurimis frequentius contingere, ut filii magis, quam parentes, avunculos (forte avos) in ſimilitudine velut redivivos reddant.* Quum itaque in intermediis generationibus

56) de *Morbo Sacro* Cap. V.
57) de *Hiſtoria Animalium* Lib. VII. Cap. 6. (in edit. Mauſſaci Cap. 9. Sect. 79. p. 831.) & de *Generat. Animal.* Lib. I. Cap 18.
58) in *Hiſtoria Naturali* Lib. VII. Sect. X.
59) in *Philonio*, loco ſupra allegato.
60) *Operum* ſeu *Chirurgiae* Lib. XXIII. Cap. 2.
61) de *Morbis Hereditariis* d. l.
62) dicto loco, p. 403.
63) c. l. Cap. I. p. 241. & Cap. X. p. 291 ſeqq.
64) *Obſervationum Medico Phyſicarum* Centuria I. Obſerv. VII. p. 14.
65) de *morbis hereditariis* p. 9.
66) in *Elyſio Campo* Quaeſtione LIV. per totam.
67) in *Lineis Medicis* Anno III. Decembr. Obſerv. 21. p. 875.
68) in *Spermatologia* Cap. IV. §. 37. 38.
69) *Operum* Tomo I. p. 3.
70) c. l. p. 404.



bus causa suppressa delitescat, nec in ipsam affectionis formam progerminet, causae adsint necesse est, quae impediant, quo minus emergere queat ista similis qualitas. Tales autem sunt vel res, quae hereditariam dispositionem opprimant, ne possit in manifestam affectionem erumpere: vel absentia earum causarum & conditionum, quae ad excitandam affectionem concurrere debent.

§. XXXII.

Sic quod ad genus morbidarum affectionum hereditariarum attinet, inter omnes constat hujusmodi morbos plerumque non ab ipso statim natali die in infantibus apparere, sed saepius admodum longo post intervallo prodire, alios in pueritia, alios in juventute, alios demum senectutis tempore 71): Inprimisque eos morbos, qui certa aetate efflorescere solent, & in parentibus extiterunt, in natis ordinarie quoque non ante producuntur, quam eum aetatis terminum attigerint, 72) quem terminum si superaverint illaesi, postea ferme immunes manent 73). Annotat tamen Experientissimus STAHLIVS 74) nonnunquam in liberis hereditaria mala sese maturius, itemque fortius ac contumacius exserere, quam in parentibus fuerant. Ex cujus etiam observatione 75) rarius contingit, ut eminentes aliqui gravioresque affectus hereditarii in liberis formaliter erumpant, nisi prius affines atque conspirantes alii quasi

71) LYONNET. p. 11. & 82 seqq.
72) MERCATVS d. l. p. 67. seqq. LYONNET. p. 7. STAHL alleg. Diss. §. 41. seqq.
73) STAHL. ibid. §. 76. quod memorabili exemplo achorum & epilepsiae probat. Add. BOERHAAVIVS in *Praelectionib. ab Hallero editis* §. 736. p. 89. Tomi VI.
74) alleg. Diss. §. 43 & 79.
75) §. 43. usque ad 50 itemque 66. exemplis quoque in medium allatis.

quasi praeluserint, qui quidem ad istos justa geneologia pertinent, interim parentibus vel plane non acciderant, vel certe nullo memorabili gradu aut impetu: praeterea quo praematurius hujusmodi affectus cooritur, eo certius etiam universam reliquam sui generis malitiam & pertinaciam habere ait, pedissequam. Horum phaenomenorum, & praesertim quod hereditaria dispositio non statim ipsum morbum profert, sed tamdiu velut in insidiis latet, ratio esse videtur; quoniam ad producendos morbos causae plures concurrere debent, nominatim occasionales & conditiones variae seu Circumstantiae, quae vocantur, quae excitent antecedentem dispositionem, ut proxima morbi causa nascatur: neque ipsa illa hereditaria dispositio ante perfecta & ad morbos parentum similiter in natis producendos satis efficax esse potest, quam in caeteris quoque conditionibus, & sigillatim in tempore sive aetate, parentibus similes facti fuerint liberi. Illustratur hoc comparatione aliorum morborum, quorum causae admodum diu in corpore abditae latent, antequam ipse morbus exoriatur: ut inprimis de hydrophobia constat, eam saepenumero longe post morsum rabidi canis in affecto corpore manifestam fieri 76). Reliqua phoenomena majori liberorum prae parentibus imbecillitati adscribi possunt.

§. XXXIII.

Similiter, si forte Pater cum suo semine morbosam naturam embryoni impresserit, sed materni seminis ac sanguinis illibata virtus in generatione praevaluerit, malum tantisper oppri-

76) Vid. HERM. BOERHAAVIUS in *Aphorismis de Cognoscendis & Curandis Morbis* §. 1137. RICHARD. MEAD. in *Expositione Mechanica Venenorum*, Tentamine 2. de cane rabido, Operum Goettingae 1749 in 8. editorum Tomo I. p. 161.



opprimetur, donec in ſequente debiliore generatione antiquas iterum vires reſumat. Item ſi filius forte diem poſtremum obierit, antequam cum aetatis terminum attigerit, quo morbus hereditarius expectandus erat, in ipſius tamen liberis quos ſuſcepit, ſi ad iſtam aetatem pervenerint, malum explicari poterit, quod in parente occultum delituerat. Etiam propterea liber manere poteſt pater e. g. a podagra, quod reliquae cauſae, quae ad excitandum morbum ſymbolam ſuam conferre debent, ut Bacchus Venusque artuum inferiorum debilitatio caet. illum vel fortunae, vel diaetae ae regiminis beneficio 77) non afflixere: qua felicitate, quia e contrario nepotes haut ſunt uſi, fieri aliter non poteſt, quam ut in morbos, quorum antecedentem cauſam ac diſpoſitionem intra corpus fovent, incidant. Et tales caſus plures fingi poterunt.

§. XXXIV.

Denique perpetuum non eſt, ut morbi aut vitia parentum in liberos transmittantur, licet hereditarii generis ſint. Quemadmodum videmus, a claudis non ſemper claudos progenerari, neque a mutilis mutilos, a diſtortis diſtortos, ab arthriticis arthriticos & ſic porro. Primum enim omnes illae parentum affectiones haut propagantur, quae nondum ſuam ſemini labem impreſſerunt, nec ſanguini matris profundius haerent. Deinde praeſertim ii morbi & defectus, qui haut na-

77) Refert SCHENCKIVS *obſervationum* editionis Francofurtenſis anno 1609. in fol. p. 762 ſeq. ex IAC. HORSTII obſervationibus arthritidem hereditariam in Sebaſtiano a Dommendorf cujus patrem iſchiaticum pariter ac matrem arthriticam, graviſſime ſaepe decumbentes curaverat Horſtius, anno aegri 31. praeſervante curatione integre ſublatam eſſe, ut nunquam poſtea redierit licet adhuc annis 20. ſuperſtes vixerit.

nativi ſunt, ſed poſt formatum editumque foetum ex variis cauſis procatarcticis orti: ut ſi quis infelici lapſu claudus factus ſit, aut in bello manu aut pede truncatus, aut podagram intemperantia ſibi conſciverit. Tales igitur morbi quum ex aliis cauſis quam ex ſemine maternoque ſanguine, ortum trahant, proprie non ſunt hereditarii: quam ob rem nec in natos hac via transferri poterunt. Tum, licet vitioſum in altero parentum ſemen, aut in matre ſanguis fuerit, ut hinc foetum ſimili vitio contactum iri, timendum ſit; tamen ſi alterius parentis natura ſana vegetaque ac valens eſt, hanc par eſt, plurimum in generatione conferre, foetumque formare ac conſtituere atque ita corrigere alterius ſeminis pravitatem: Unde tum quoque illi ſaniori valentiorique parentum ſimilem naſci videmus infantem, ſicut pulchre obſervant FORTVNATVS FIDELIS 78) & FRID. HOFFMANNVS 79). Caeterum verbo admonere ſufficiet, ut morbi a parentibus migrent in liberos, non neceſſarium eſſe, ut generatio in ipſa morbi praeſentia, vel adeo paroxiſmo fiat, quae quorundam fuit opinio, quos inter alios refellit FRANCISCVS RANCHINVS 80) & ſi parum modo attendatur ad ea, quae in praecedentibus de origine & natura hereditariarum qualitatum & affectionum dicta ſunt, facile per ſe corruit haec ſententia.

§. XXXV.

Plura adhuc adjici poſſent, inprimisque per ſingulas qualitatum & affectionum, ſive naturalium, ſive praeternaturalium

78) *de Relationib. Medicor.* Lib. III. Sect. III. Cap. IV. p. 405.

79) *de Affectibus Hereditariis* §. XXXV.

80) in *Pathologia Univerſali*, Sect. 2. Cap. XXII. Operum p. 143 ſeqq.



ralium, ſpecies oſtendi, quommodo eae fieri queant hereditariae, tum exponi ratio qua perverſas vel minus placentes qualitates cavere, praevertere, tollere, emendare liceat, & quae requiri poſſent alia. Sed quum haec tractatio jam in ſatis juſtam excreverit molem, hic pedem figo, &, ſi quae minus recte dixero, lectores aequos veniam rogatos volo.

